

divino, non declinat illam, qui quantumvis, occulte, Simoniace, & injuste accipiendo, injuriam facit Tertio. Confirmatur a pari de usura *Mensali*, utpote quæ de Jure naturæ, & in conscientia ante omnem Judicis sententiam æquè obligat ad restitutionem, ac manifesta, textu claro, c. *Consultus*, 9. de *Usuris*.

361 *Dices, c. Tua nos. 34. Et c. fin. h. s.* expresse habetur, ob *Simoniam* absque pacto externo commissam nullum subiacere Juris pœnis, quod etiam nos diximus supra n. 234. ergo nec oneri restituendi. Resp. Negando *Conseq.* quia onus restituendi *Simoniace* accepta temporalia non est pœna Juris, sed obligatio & justitia & Jure Divino procedens, ob injuriam illatam Tertio. Quæ obligatio etiam occultissima delicta afficit, hoc ipso, quod Juris Divini Conditor, *Scrutator sit cordium, Et Cognitor Secretorum*, cit. c. *Tua nos. h. r.*

362 *Dicitur autem notanter in Conclusionè: Quæ conferuntur sine damno, aut incommodo temporali conferentis, quia in casu, quo conferens Sacramentalia, subit damnus temporalis, privando se commodo aliquo temporali, prout fit in rebus spirituali annexis, ut dum v. g. vendit sacrum calicem, oleum &c. non tenetur ad restitutionem, si plus non exigit, quam res illa spirituali annexa valet, aut incommodum temporale, quod subit, efficit: imò in hoc nullam committit *Simoniam*, per dicta supra n. 221.*

§. XIII.

De Causis, & Titulis excusantibus à Simonia, vel pœnis, ac restitutione Simoniace acceptorum.

SUMMARIUM.

- 303 Tituli excusantes à Simonia recensentur.
- 304 Ignorantia invincibilis etiam excusat à Simonia.
- 305 Sicut & labor extrinsecus, non item intrinsecus.
- 306 Pro Missa & aliis ob laborem extrinsecum plus exigitur.
- 307 Nisi talis labor aliunde jam debeat.
- 308 Vexatio potest esse varia.
- 309 Non est Simonia alicui cuiquam dare temporale, ne injuste te vexet in spirituali jam acquisito.
- 310 Vel etiam acquirendo, si injuste vexat, qui solam nocere non autem prodesse potest de Jure.
- 311 Ut si vexat te injuste diffamando.
- 312 Injuste detinendo.
- 313 Aut inopertitis precibus alium minus dignum commendando.
- 314 Simoniacum est, dare temporale, ne talis, qui de Jure prodesse potest, injuste vexet, injuste negando Votum v. g.
- 315 Doctrina practica ad propositum.
- 316 Simoniacum est, dare alicui cuiquam tandem temporale, ne Vexationem justam incipias, vel prosequatur, justè accusando v. g. vel defectum Canonicum manifestando &c. Et tribus nu. seqq.
- 320 Causæ & Tituli, qui excusant à peccato seu culpa Simoniæ, excusant etiam à pœnis.
- 321 Ignorantia pœna non excusat ab ea, qui peccatum Simoniæ committit.
- 322 Transgressores legis puniuntur etiam pœnis, quas ignorarunt: Et nus. preced.
- 323 Ignorantia Censuræ excusat ab ea.
- 324 Simoniace accepta temporalia tenentur quis re-

stituire, est accipiendo illa ignorans, se peccare.

325 Presertim Simoniace acceptum ob Beneficium Ecclesiasticum.

326 Nisi quis hujusmodi Simoniace accepta jam prescripserit.

327 Quantum temporis requiratur ad hanc prescriptionem? Remissivè.

328 Doctrina practica de prescriptione Simoniace acceptorum temporalium.

329 Qui Beneficium Ecclesiasticum ab aliis ipso ignorante Simoniace procuratum per Triennium bonâ fide possedit, non tenetur amplius illud restituere.

330 Bene verò, si intra Triennium id rescit.

331 Simoniace Beneficium procurans non gaudet Regula de Trienniali, sed tenetur illud unâ cum fructibus restituere.

332 Illis exceptis, quos prescripsit.

Quæritur I. Quæ Causæ, vel Tituli excusent à Simonia? Resp. Sequentes potissimum. I. Si temporale pro spirituali aut econtra omnino gratis sine ullo explicito & implicito pacto datur, juxta dicta §. V. supra. II. Si post acceptum spirituale datur temporale, aut econtra, ex gratitudine ad satisfaciendum obligationi Antidotali, per dicta supra n. 117. III. Si Ministris Ecclesiæ temporale pro modum stipendii ad honestam sustentationem pro administratione Sacramentorum, pro Missis, & aliis functionibus spiritualibus, per dicta supra à n. 186. IV. Excusat ignorantia invincibilis juxta dicenda n. seq. V. Labor extrinsecus, per dicenda infra n. 305. VI. Redemptio Vexationis injusta, juxta dicenda à n. 308.

Quæritur II. An, & qualis Ignorantia excuset à Simonia? Resp. Ignorantia, que non est crassa vel supina, sed invincibilis excusat à peccato Simoniæ. Communis & certa. Ratio est; quia Ignorantia à quovis alio, ergo etiam à Simonia peccato excusat. Quod autem à quovis alio peccato excuset, late probant Theologi præcipuè ex illo fundamento, quod ad peccatum requiratur consensus, ignorantis autem nullus est consensus, l. Si per errorem. 15. ff. de *Jurisdic. omnium Judic.*

Dicitur autem notanter, *invincibilis*, quia vincibilis, crassa nempe supina, vel affectata ignorantia, uti à nullo alio, ita nec à peccato Simonia excusat. Num autem quis reverè habeat ignorantiam invincibilem, cujusvis conscientie relinquatur. Illi, quod sibi timeant, certè habent, qui de Simonia nec audire, nec legere aliquid volunt nolentes intelligere, ut bene agant; vel qui legunt quidem, aut ab intelligentibus rem audiunt, tamen statim excurrent, aut parum curando ridet, & contemunt; relege etiam dicta ad propositum n. 294.

Quæritur III. An, & qualis labor excuset à Simonia? Resp. Propter laborem functioni aut ministerio spirituali extrinsecum, & per accidens conjunctum, non item propter intrinsecum absque Simonia acceptari & exigi potest temporale pro spirituali, consequenter labor extrinsecus (aliunde non debitus) non item intrinsecus ab illa excusat, Palao de *Simonia*, pun. 11. n. 3. Gutierrez *Canon qd. cap. 29. n. 25. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 8. n. 45. Bonacina de Simonia. Disp. 1. q. 6. pun. 3. n. 2.* cum Glossa communiter accepta in c. *Significatum, de Præbendis*. Pro intelligenti Conclusionis notandum, cum Comuni DD. illum laborem esse, & dici extrinsecum functioni alicui spirituali, & eique per accidens conjunctum, sine quo Ministerium, seu functio hujusmodi spiritualis in se bene fieri potest: sic v. g. celebrationi Missæ labor extrinsecus & per accidens con-

§. XIII. De Causis, & Titulis excusantibus à Simonia, &c. 145

conjunctus est itinerario per unam vel alteram horam à loco distantem: Econtra verò pronuntiatio verborum, motus membrorum &c. in celebratione Missæ facta necessarius, est labor Missæ intrinsecus, eò quod sine illo, non item sine isto Missa celebrari valeat. Ratio Conclusionis est; quia hoc ipso, quod labor *primi generis* ab extrinsecis, & per accidens tantum sit conjunctus functioni spirituali, non perdit per hujusmodi conjunctionem, estimationem, & valorem suum, quem ex se tanquam quid temporale habet; consequenter pro illo, seu propter illum rei spirituali annexum, temporale quid absque illa Simonia exigi poterit. Econtra verò, quia labor *intrinsecus* ab ipsa actione facta non distinguitur, sed cum ipsa unum opus efficit, totusque facit est, exigi pro illo aliquid spirituale absque Simonia non poterit; verificaturque de illo id, quod dicitur *can. Si quis obsecerit. 7. cau. 1. q. 3. ibi: Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum in venditum derelinquit.*

Inferitur cum communi DD. à Simonia excusari illos, qui plus, quam in tali loco dari solet, pro Missa exigunt ex eo, quod sua cum incommoditate debeant eam celebrare certo tempore, vel in loco distantem, vel (ut Bonacina vult, & consuetudo approbat) altâ voce. Idem est de aliis functionibus spiritualibus, si tali aut simili cum labore extrinsecis, incommoditate, lucro cessante, aut damno emergente fieri debeat; dammodò plus non exigatur, quam talis labor, incommoditas, aut damnum extrinsecum à parte rei juxta prædientem estimationem valet: Secus enim haud dubie Simonia committeretur, cum excessus ille jam non pro temporali, sed pro spirituali exigatur; ut bene advertunt cum communi aliorum citati Doctores.

Dicitur autem notanter in Conclusionè labor extrinsecus aliunde non debitus: Nam si quis ad extrinsecum talem laborem, vel incommoditatem aliunde, v. g. ex Officio, fundatione, contractu &c. tenetur, ac pro tali labore &c. spiritualibus conjuncto compensens salarium, aut stipendium habet, pro illo nequaquam aliquid ulterius exigere valet absque peccato Simonia; quia cum in hujusmodi casu, talis caret omni justo Titulo aliquid exigendi, pro ipsa rei spirituali temporale exigere censetur, prout bene advertunt DD. Hinc Parochus, vel Capellanus vel nil, vel non plus, quam pia & laudabilis consuetudo habet, exigere potest pro itinere, & incommoditate, quam habet portando Sanctissimam ad infirmum Parochianum unâ vel duabus horis distantem; quia ad id ex Officio tenetur, ob quod suos redditus & stipendium jam habet.

Quæritur IV. An, & quando à Simonia excuset Redemptio vexationis? Ante Responsum notandum, Vexationem, aliam esse justam, & aliam esse injustam; item aliam esse, que fit ab illo, qui solùm obesse, non verò de Jure prodesse potest: rursum aliam esse, quâ quis vexatur in jure ad rem, uti est v. g. electus, sed nondum confirmatus, presentatus, sed collationem nondum consecutus, vel hanc quidem sed investituram nondum habens; & aliam, quâ quis vexatur in jure quod habet in re. Hoc notato.

Resp. I. Non est Simonia, pretium temporale dare ad redimendam injustam Vexationem, quam quis patitur in Jure spirituali jam plene questito, & quod habet in re, à quocunque tandem Vexatio hæc proveniat. Navarrus *Manual. cap. 23. num. 102.* Abbas in c. *Dilectus. 28. h. t. num. 3.* Palao de *Simonia pun. 20. num. 1.* D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. Pirhing. h. t. num. 105. cum communi aliorum, Reiffenstuel *Jus Can. Tom. V.*

arg. *can. Quæstum. 4. cau. 1. q. 3. Et c. Dilectus 28. h. t.* ubi Simonia non arguatur, qui ad redimendam injustam Vexationem, quam passi erant in jure jam questito, temporalia dederunt. Ratio est; quia qui dat temporale ad redimendam injustam Vexationem, in jure spirituali, quod plene jam habet, non dicitur pro jure spirituali, utpote quod jam habere supponitur, sed pro tollenda, vel impedienda injusta molestia & injuriâ, quod est quid temporale.

Inferitur, illum immunem esse à Simonia, qui dat; vel præstat temporale alicui, ne injultè vexet ipsum diffamando, accusando, & talia proponendo, ob quæ collatio Beneficii, quod actu licite & valide jam possidet, de Jure haberetur, nulla, vel eo privati posset &c.

Resp. Non est Simonia, pecunias, aut quid aliud temporale dare ad redimendam injustam Vexationem etiam in jure spirituali nondum plene questito, si vexat, seu molestat talis, qui vel penitus non, vel ad obtinendum Beneficium de Jure profectè non potest, eligendo v. g. presentando, confutando, confirmando &c. licet obesse valeat infamando v. g. vel alia injusta obstativa ad impedimentum ponendo, ne rite electus conferretur, aut ne presentatus institueret &c. Suarez de *Simonia. cap. 50. num. 23.* Palao de *Simonia §. 2. num. 22.* Ugolin. & Communi aliorum. Ratio est; quia etiam in tali casu non datur temporale pro spirituali Jure acquitendo, hoc ipso, quod obesse valeat infamando non dem, ut mihi conferat spirituale, utpote qui ex supposito non potest, nec, ut pro illo acquitendo me commendat, ac preces interponat, sed præcisè ut injusta impedimenta non ponat, aut injustam Vexationem non incipiat, vel inceptam continuare desinat, quod cuius licitum est; cum quisvis habeat jus questum in liberate & fama sua, omnemque injuriam à se repellere valeat, per *vulgaria*.

Inferitur, Simoniam non committi in sequenti casu. I. Casu, quo Sempronius de Jure ad Beneficium obtinendum profectè nil valens, injustè vexat Mævium, infamando ipsum, vel denigando apud eligentem, confirmantem, presentantem, conferentem &c. vel aliam injustè agendo contra ipsum, ut vel non eligatur, vel electus Confirmationem non obtineat, vel non presentetur, vel presentatus non instituat, vel aliam à Beneficio acquirendo impediatur, Simoniam (inquam) non esse, si Mævius pecunias offerat Sempronio, ut ab injusta Vexatione desistat, aut eam non incipiat.

II. Pariter non committitur Simonia, quando quis alicui dat pecuniam, ne ipsum injustè detineat, aut impediatur venire ad concilium, Electorem, presentatorem conferentem &c. ibique pro Beneficio acquirendo laborare.

III. Non est Simonia, si promittas, aut præstes alicui temporale, ne importunis precibus, aut muneribus animam eligentis, presentantis, confirmantis &c. à te avertat, illumque pro alio minus digno disponat, nisi specialiter advertunt Palao *loc. cit. num. 5.* Lessius *loc. cit. num. 109.* Suarez *loc. cit. num. 25.* Valentia cum Communitariis aliorum contra Socum. Ratio est: Tum quia est talis non facit tibi injuriam contra justitiam commutativam, facit tamen tibi nocumentum contra charitatem, & malè agit etiam contra justitiam saltem distributivam. Tum etiam, quia in tali casu non das pecuniam, ut illam accipiens tibi Beneficium conferat, aut ad illud te promoveat, sed tantum ne te per suas preces, vel munera contra charitatem impediatur; ergo.

Resp. III. Si talis, qui de Jure profectè potest, N injusta

injuste vexat, v. g. injuste negando votum in Electione, vel confirmatione, vel presentatione, vel institutione, vel collatione &c. *Simoniacum* est, promittere, dare, vel præstare temporale ad tollendam injustam Vexam. D. Thomas 2.2. q. 100. art. 2. ad 5. Suarez loc. cit. num. 18. Palao de *Simonia*. num. 4. Pirhing b. t. num. 109. Lessius loc. cit. num. 106. cum Comuni aliorum, & aperte constat ex c. *Tuis*. 33. b. t. ubi tam Episcopus injuste negans confirmationem rite electo, quam illi, qui ad tollendam injustam Episcopi Vexam, pro obtinenda debita confirmatione pecuniam dederunt, *Simoniaci* habentur. Idem etiam patet ex c. *Martheus*. 23. eod. Ratio est; quia, dum quis alicui datur temporale, ne votum, confirmationem, collationem, institutionem injuste denegat, hoc ipso temporale illi porrigit, ut spirituale hujusmodi sibi tribuat; eò quod etiam injusta negatio voti, confirmationis &c. non tollatur nisi actuali datione illius; dare autem temporale, ut datur spirituale, aperta *Simonia* est, per hætenus dicta; ergo.

315 Inferitur, *Simoniam* committere illam, sive facultatem, sive Regularem, qui sciens & timens, alicum sibi adversarium vel inimicum, vel inique corruptum, aut corrupendum, temporale *Munus à lingua*, à *Munus*, vel obsequio eidem præstat, vel offert hoc pacto, vel etiam ex hoc motivo, ne injuste sibi votum denegat in futura electione ad Episcopatum, Decanatum, Abbatiam, Provincialatum &c.

316 Resp. IV. Certò committit *Simoniam*, qui alicui cuicumque tandem sive de Jure ad Beneficium prodesse valenti, sive non, temporale dat vel præstat, ne *Vocationem justam* incipiat, vel ut ab incepta desistat in Beneficio. sive acquirendo, sive acquirendo. Barbosa de *Offic. & potest. Episcop.* allegat. 60. num. 55. Suarez loc. cit. cap. 50. num. 10. § 11. Abbas in c. *Cum pridem*. 4. de *Pañis*. & ibi Glossa y. Non diximus. Palao de *Simonia*. punc. num. 2. Lessius loc. cit. num. 107. Reginaldus, eoque teste Omnes, arg. cit. c. *Cum pridem*. 4. de *Pañis*, & c. *Matthæus* 22. b. t. Ratio est; quia quando quis in Beneficio acquirendo, vel acquirendo, justè impugnatur, aut impugnari potest, jus vel nullum, vel saltem non firmum habet ad Beneficium; consequenter si mediante temporali justam impugnationem, seu *Vexam* avertit, viam per temporale ad spirituale sibi parat, & mediante temporali jus ipsum, aut saltem firmitatem ejus procurat.

317 Inferitur, *Simoniam* committi I. Si duobus de Beneficio aliquo brigantibus unus det alteri temporale, ut à lite desistat; prout etiam jam diximus Lib. I. Tit. XXXVI. de *Transact.* n. 36. ubi tamen n. 40. § segg. addidimus, interveniente autoritate Episcopi fieri posse *Transactionem*.

318 II. Si alicui detur temporale, ne electionem, presentationem, collationem, aut ipsum Beneficium jam possessum impugnet, quod de Jure bene impugnare potest, aut ut ab impugnatione justa desistat.

319 III. Si alicui datur, aut præstatur temporale, ne alterius defectum, vel impedimentum Canonicum in ordine ad privandum alterum Beneficio, aut impediendum ab eo revelet.

320 Queritur V. An. & quæ Cause excusent à pœnis *Simoniae*? Resp. Omnes Cause, & Tituli, qui per dicta à n. 303. excusant ab ipsa *Simonia*, seu quæ faciunt, quod quis dando temporale pro spirituali, aut econtrà, culpam seu peccatum *Simoniae* non committat juxta dicta supra à n. 303. excusant etiam à pœnis contra *Simoniam* statutis. Communis & certa. Ratio est; quia ubi nulla culpa, ibi nulla poena, arg. l. Si

putator, 31. ff. ad *Legem Aquiliam*, l. *Sancimus*. 22. C. de *Panis* & c. *Sine culpa*, de *Reg. Jur.* in 6. ibi: *Sine culpa, nisi causa subit, non est puniendus*, cum Concordantibus. Nec est in hoc aliqua controversia. Et procedit Conclusio etiam de ignorantia, ita, ut casu, quo hæc excusatur à culpa, excuset etiam à pœnis: si verò à culpa non excusatur, nec à pœnis excuset, etsi hæc invincibiliter ignorentur, ut patebit ex sequenti Conclusionem. Nam

Resp. II. Qui scit, vel dubitat (nam universali. 322 ter, qui cum dubio præstare antedecente operatur, eodem peccato se inquinat, quo scienter peccans juxta communem Theologorum) se peccare, & *Simoniam* committere dando rem temporalem pro spirituali, aut econtrà, non excusatur à pœnis *Simoniae* ab Ecclesia contra *Simoniacos* statutis, etsi hæc invincibiliter ignoret, exceptis Censuris. Sotus in 4. dist. 6. q. 8. Jul. Clarus §. fin. q. 85. §. *Secundum est casus*. Azorius p. 1. lib. 1. cap. 15. q. 1. § 2. Covarruvias in c. *Alma Mater*. p. 1. §. 10. num. 9. Herinx p. 2. tr. 10. Disp. 5. q. 3. num. 28. § 29. Layman lib. 1. tr. 4. cap. 20. num. 6. Sanchez lib. 9. de *Matrim.* Disp. 32. num. 21. Molina Tr. 10. Disp. 71. num. 9. Suarez, Sotus, Corduba, Avila, Ledesma, & contra paucos quosdam communissima aliorum, universales decernunt, quòd ignorantia pœnarum à Legem impostarum non excuset eum, qui Legem culpabiliter transgreditur. Inter quos Azorius ait, rem esse certam; Covarruvias autem non dubitat dicere, contrarium esse errorem admodum manifestum; in d. maximam ne dicam (ait ipse) *puendam conscientiam*, probatque dein ad longitudinem, & defendit suam opinionem. Ratio Conclusivis est: Tum quia ignorantia solius pœnæ non tollit causam pœnæ, id est, culpam; ergo nec effectum seu ipsam pœnam: Tum quia qui scienter & culpabiliter transgreditur legem, jam hoc ipso reum se facit pœnæ delicto proportionate à lege jam impostæ, vel imponende, & jam saltem implicite scire, indeque etiam in eam consentire videtur, hoc ipso, quòd cuivis notorium sit, crimina & legis transgressiones justæ, & proportionate pœnæ vel per Legem jam impostæ, vel per Judicem imponenda puniri.

Confirmatur universali praxi omnium Tribunaliū Ecclesiasticorum, & Laicalium, quæ constat, Malefactores, & Legum Transgressores variis afflicti pœnis, rotæ v. g. patibuli, gladii, combustionis, exilii, etsi invincibiliter ignorarent, delicta à se committenda, & commissa pœnis hujusmodi subjacere. Quin imò Ter Optimus, ac Justissimus Judex Deus variis pœnis æternis & temporalibus peccatores & Legis sue transgressores affligit, etsi peccantes ignorent, se ob peccata hæc pœnas in specie incurere, quia sufficit, eos scire, quod legem transgrediendo culpam & peccatum committant, peccatum verò pœna proportionata justè puniri.

Dicitur autem notanter, *exceptis Censuris*: Omnes enim sententur, ignorantiam Censuræ excusare ab ea incurrenda, etsi ceteroquin contra legem agendo, gravissimè quis peccet. Ratio est; quia ad incurrendam Censuram requiritur contumacia, hæc autem non adest, ubi ignorantia Censuræ habetur, uti magis dicitur infra Tit. XXIX. de *Sentent. Excommunicat.* ergo.

Queritur VI. An. & quæ Cause excusent à pœnis *Simoniae*? Resp. II. Quicumque *Simoniace* accipit aliquid temporale pro, vel propter spirituale, præsertim Beneficium Ecclesiasticum, indeque ad restitutionem illius temporalis tenetur, juxta dicta à num. 289. nullatenus excu-

excusatur à restitutione hujusmodi rei temporalis, licet accipiendo talem rem invincibiliter ignoraverit obligationem, & onus restituendi illam, imò etiam si invincibiliter ignoraverit, se ita accipiendo peccare, indeque bonâ fide accipere, & possidere inceperit; nisi jam adit *Prescriptio*. Hæc Conclusio necessariò sequitur ex dictis à num. 289. Quia, cum juxta ibidem dicta onus restituendi acceptum temporale pro spirituali, non tam sit pœna à Jure humano proveniens, quàm obligatio conforgens à Jure Divino, & naturali, vi cujus quis tenetur restituere rem alienam, pallam esse, eum, qui *Simoniace* accipit temporale pro spirituali, teneri illud restituere, quamprimum rescit illud tanquam rem alienam restituendum esse obnoxium: etiam si prius illam accipiendo, id ignoraverit.

325 Dicitur notanter *Prescriptio Beneficium Ecclesiasticum*, quia *Simoniace* accepta pro vel propter hoc temporale, esse obnoxia restitutioni ex justitia, consequenter ex Jure Divino, specialis habetur certitudo ob damnatam ab Alexandro VII. opinionem contrariam allegatam supra n. 292.

Limitatur tamen Conclusio in *Simoniace* accipitis pro ingressu in Religionem, juxta dicti n. 298.

326 Resp. II. *Prescriptio legitima* excusatur à restitutione *Simoniace* acceptorum; consequenter, qui *Simoniace* accipit temporale pro spirituali bonâ fide putans, id esse licitum, vel sciens quidem, id illicitum & *Simoniacum*, ignorans tamen invincibiliter, hoc etiam contra justitiam, & consequenter ita acceptum tanquam rem alienam restitutioni esse obnoxium, talis rem præscribit, & facit suam, nec tenetur illam amplius restituere, sed valide ac licite retinere potest, si tempore ad *Prescriptionem* requisito eam bona fide possidet & continuat. Hæc Conclusio, ejusque probatio defumitur ex generali doctrina de *Prescriptione*. vi cujus juxta communem omnium quivis acquirit dominium rei alienæ, quam verò, vel colorato titulo, bonâ fide, legitimo tempore possedit, prout amplè dictum habetur Lib. II. Tit. XXVI. de *Prescript.* ergo etiam, qui *Simoniace* pro spirituali accipit rem temporalem, eamque ut suam legitimo tempore bona fide possidere continuat, dominium illius acquirit; præsertim quia semper præstat etiam titulum saltem coloratum, tacitum nempe, vel expressum pactum.

327 Si queratur, quantum temporis requiratur ad *Prescriptionem*? Resp. Id patere ex dictis cit. Lib. II. Tit. XXVI. de *Prescript.* ubi §. VI. plenè declaratum, & probatum habes, quòd ad præscribendam *Res mobiles* requiratur, & sufficit Triennium eum titulo & bonâ fide: *Res immobiles* verò præscribantur Decennio inter presentes, & viginti annis inter absentes.

328 Inferitur eos, qui vel *Simoniam*, vel obligationem restituendi *Simoniace* accepta ignorantes pro spiritualibus accipiunt bonâ aliqua mobilia, & bonâ fide per Triennium retinent, ad restitutionem illorum non amplius teneri: Eos verò, qui vel ab initio sciunt, vel intra Triennium legendo, vel audiendo sufficientem notitiam acquirunt temporalia pro spiritualibus justè accipere non posse, & accepta restitutioni obnoxia esse, ea Jure Divino & naturali restituere debere, quantumvis postea longo tempore ea possideant.

329 Resp. III. Qui Beneficium Ecclesiasticum ab aliis, ipso ignorante, *Simoniace* procuratum, bonâ fide per Triennium possidet, non tenetur illud, vel fructus inde perceptos restituere. Patet Conclusio ex dictis n. 278. § seg.

330 Resp. IV. Qui intrâ Triennium rescit Beneficium, quod habet, ab aliis, ipso ignorante, *Simoniace* procuratum, & collatum fuisse, tenetur illud

excusantibus à Simonia, &c. illis restituere; fructus tamen interea bonâ fide perceptos retinere potest. Constat Conclusio ex dictis supra n. 274. § seg.

331 Resp. V. Quicumque Beneficium *Simoniace* scienter procurat, tenetur illud una cum fructibus ante omnem Judicis sententiam restituere. Hæc quoque Conclusio patet ex dictis supra num. 264. § 265. ac procedit, etsi *Simoniace* procurans ignoraverit, Beneficium ita procuratum, esse nullum, & dimissioni seu restitutioni obnoxium. Ratio est, quia juxta dicta num. 321. ignorantia pœnarum *Simoniae* (inter quas etiam est nullitas Collationis Beneficii per dicta n. 264.) non excusat ab illis, si quis ipsius culpe *Simoniace* reus est.

Circa fructus tamen illud advertendum, quòd, 332 qui Beneficium *Simoniace* procuravit quidem, ignoraverit tamen Collationem Beneficii factam, esse irritam, & Beneficium dimittendum, fructus illos, quos bona fide interea percepit, & per Triennium possidet, restituere non amplius tenetur, quia, cum in tali casu fructus tanquam quid mobile cum titulo saltem colorato, & bona fide possederit, suffragatur ei *Prescriptio* per dicta.

§. XIV.

De Dispensatione in pœnis *Simoniae*; & Absolutione a Censuris ob eam incurris: ubi etiam de Judice *Simoniae*, & Testibus contra eam.

S U M M A R I U M.

- 333 Ab Excommunicatione ob *Simoniam* incurâ solus Papa potest absolvere.
- 334 Et Mendicantes in privilegiis, si incurritur hæc poena ob *Simoniam* in Beneficio, vel Religionis ingressu.
- 335 In pœnis ob *Simoniam* in Collatione, vel susceptione Ordinum commissam etiam occultam, nullus præter Papam dispensare potest.
- 336 Si Beneficium simplex *Simoniace* fuit obtentum, Beneficiario ignorante, potest Episcopus dispensare, quod illud veniervaleat.
- 337 Idem potest, si est Prælatum ab Beneficium Curatum, dimodò Collatio illius per sententiam reprobata non sit.
- 338 Penam inhabilitatis ad Beneficium Episcopus dispensando tollere non potest, quando *Simonia* ab ipso Beneficiario, vel illo sciente ab aliis fuit commissa.
- 339 Idque procedit etiam in Foro interno, quidquid dicant alii: Et n. seq.
- 340 Episcopus non habet potestatem dispensandi in Foro interno in cunctis pœnis occulto delicto per Papam impostis.
- 341 Licet Papa dispensare possit in quavis poena *Simoniae*, tamen rarissimè dispensat; & quare?
- 342 Causa dispensandi allegari possunt scandalum, & paupertas Rei.
- 343 Quando *Simonia* est publica, Dispensatio pro foro externo obtineri debet à Datatia.
- 344 Quando verò est occulta, procuratur pro Foro interno in Penitentia.
- 345 Quid in praxi observandum pro Dispensatione obtinenda?
- 346 Quenam observare debeat Executor Literarum Dispensationis in pœnis *Simoniae*?
- 347 Et quibus verbis, vel quâ Formula dispensandi uti debeat?
- 348 In causis *Simoniae* solus Judex Ecclesiasticus cognoscere potest.

349 Ad accusandum Simoniam quibus etiam Criminosus admittitur.

350 *Enchiridion* accusatione accusatus statim suspensus est a celebrandis Missarum solemnibus, si de Simonia iam est diffamatus.

351 Contra Simoniam quibus etiam alias Criminosus potest esse Testis, dummodo non sit inimicus capitalis Rei, nec perjurus.

352 Verum tamen Testes de Jure inhabiles etiam in hac causa sine admittuntur plene non probant.

333 **Q**ueritur I. Quinam possint absolvere ab excommunicatione, & dispensare in penis ob Simoniam incursum? Resp. I. Ab Excommunicatione, quam incurrit committentes Simoniam in ingressu in Religionem, vel Beneficio Ecclesiastico, solus Papa absolvere potest. Omnes. Ratio est; quia Papa illam sibi specialiter reservavit, *Extravag. 1. c. 2. h. 2.*

334 Ex privilegio tamen, quo Mendicantes absolvere possunt a casibus Papae reservatis, etiam ab illa Excommunicatione absolvere valent; dummodo non sit publica, & ad Forum contentiosum deducta. Palao de Simonia punct. fin. n. 2. Suarez lib. 4. de Simonia. cap. 61. n. 4.

335 Resp. II. Nullus praeter Papam absolvere potest ab Excommunicatione, Suspensione, Interdicto, vel aliis penis, quae ob Simoniam in susceptione, & collatione Ordinum committitur, etiam si Simonia sit occulta. Ratio est; quia praeterquam quod dispensatio in his penis de Jure expressis sit reservata Summo Pontifici. *penult. h. 2. can. Erga 110. can. 1. q. 1. Sixtus V. in Bulla Sanctum & salutare, quae est 91. inter Constitutiones dicti Papae in Bullaria Cheri. Dispensationem etiam in collatione, susceptione Ordinum committam, sibi Sedi Papali reservavit, cum expressa derogatione omnium Privilegorum, ac etiam Concl. Trident. Sess. 24. de Reformat. cap. 6. vi. cujus alias Episcopi possunt in omnibus Suspensionibus, & Interdictis occultis (excepto proveniente ex homicidio voluntario) dispensare, & ab omnibus casibus occultis absolvere. Et quamvis Clemens VIII. reduxit hanc Bullam ad terminos Juris communis, tamen in iis, quae Sixtus V. statuit contra Simoniacos, eandem confirmavit. Potest autem Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 24. n. 134. Hanc Bullam circa hoc non esse ubique usque receptam.*

336 **Q**ueritur II. An Episcopus, vel alius praeter Papam dispensare possit in poena nullitatis, & inhabilitatis ad idem, vel aliud Beneficium, ita ut vi talis Dispensationis possit quis Beneficium Simoniaci obtentum retinere, vel illud aut aliud de novo acquirere? Resp. I. Quando Beneficium aliquod Simplex Simoniaci procuratum est ab aliis, Beneficiario invincibiliter ignorante, consequenter Beneficium bona fide acceptum, potest cum illo dispensare Episcopus, ut illud de novo acquirere valeat; dummodo id prius resignet. Abbas in c. de Simoniaco. 22. h. 2. Palao de Simonia punct. fin. n. 3. Piching h. 2. n. 173. cum Communi & cetera aliorum, ob eam Juris dispositionem *penult. de Electione.*

337 Dicitur autem notanter, Beneficium Simplex, quia si Praetura, vel Dignitas aliqua praefato modo Simoniaci procuratur, aut Beneficium Curatum, quae in hoc equiparantur *arg. c. de Multa, de Praebend.* non potest Episcopus dispensare, ut talis Beneficium illa vice retinere, vel de novo acquirere valeat, sed debet tale prius alteri conferri, & postea, si iterum vacare contigerit, poterit rursus conferri tali Simoniam ab alio commissam ignorantem, ut advertunt Doctores citati, *arg. cit. c. penult. de Ele.*

338 *Simonia.* Verum si illud c. penult. bene examinatur, clare apparet, hoc intelligendum esse de casu, quo ob Simoniam alterius per sententiam fuit reprobanda, vel irrita declarata Electio, vel Collatio; consequenter, si per sententiam in Foro externo reprobanda non fuit talis Beneficium provisorio, etiam pro illa vice dispensare poterit Episcopus, quod quis Dignitatem quoque, aut Beneficium Curatum per Simoniam alterius, bona fide obtentum retinere, vel potius de novo acquirere valeat, si prius illud resignet. Sic enim habet textus: *Si aliquis electionem propter Simoniam ego ignorante ac ratum non habente commissam contigerit reprobandi, cum eo super prelatione, ad quam taliter fuerat electus, illa vice non potest Episcopus dispensare: quamvis circa eum, qui ignoranter accepit Simplex Beneficium per Simoniam procuratum post liberam resignationem Dispensatione Episcopi tolleretur.*

339 Resp. II. Si Beneficium aliquod, qualecunque tandem per alium Simoniaci fuit obtentum, Beneficiario sciente, & tacite, vel expresse consentiente, aut ipsomet Simoniaci procurante, Episcopus nec pro Foro externo nec pro interno potest dispensare, ut Beneficium hujusmodi retinere, aut idem hac, vel alia vice de novo iterum acquirere valeat Simoniaci, etiam si Simonia sit occulta. Quod pro Foro externo dispensare nequeat, certum est apud Omnes. Et ratio est; quia Simoniaci acquirens Beneficium redditur ad illud perpetuo inhabilis per Jus commune, & Constitutiones Pontificis, in quibus Episcopus dispensare nequit juxta dicta Lib. I. Tit. II. de Constitut. §. XVIIII.

340 Quod nec in Foro interno, Simonia existente occultata id possit, tenent Palao de Simonia punct. ult. num. 3. Suarez lib. 4. de Simonia, cap. 61. n. 10. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 25. n. 140. Piching h. 2. n. 173. & Communissima aliorum contra Henriquez lib. 3. de Excommen. cap. 56. n. 1. putantem, probabile esse, quod Episcopus pro Foro interno dispensare valeat, si Simonia est occulta, cui adherent etiam Palao, & Lessius loc. cit. qui, etsi fateantur, Conclusionem nostram esse communiorum, probabiliorum, & praxi magis conformem, consent tamen opinionem Henriquez probabilium. Ratio autem Conclusionis nostrae est; quia Episcopus nec pro Foro interno dispensare potest in lege Superioris, & poena per eum imposita, nisi id ei specialiter concedatur; ergo.

341 Confirmatur, & probatur ulterius Conclusio no. 340. *stra:* Si potest Episcopus dispensare in poena inhabilitatis ad idem Beneficium; & dispensando facere quod quis illud Simoniaci obtentum retinere, aut de novo obtinere valeat; idem potest juxta citatos paucos Adversarios, quia vi Concilii Tridentini Sess. 24. de Reformat. cap. 6. habet facultatem dispensandi in omnibus Irregularitatibus, & Suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae provenit ex homicidio voluntario, & absolvendi in Foro conscientiae ab omnibus casibus occultis etiam Papae reservatis; atque vigores hujus facultatis non potest dispensare Episcopus; Tum quia hac inhabilitatis poena non est casus occultus pertinet ad absolutionem Sacramentalem; Tum quia etiam non est Censura, nec Irregularitas, sed alia poena particularis vindicativa per Pontificem imposita Simoniaci Per Concilium Tridentinum autem loc. cit. non datur facultas dispensandi in omnibus penis Papae reservatis, juxta Declarationem apud Suarez lib. 4. de Simonia, cap. 61. num. 11. in fine, Tum denique quia illa poena nullitatis, & inhabilitatis ad idem Beneficium introducta est post Concilium Tridentinum, consequenter ad dispensandum in ea se non extendit facultas a Concilio Tridentino Episcopo.

Episcopis data, prout in simili Gregorius XIII. respondit audita relatione S. Gregorionis. Accedunt aliae adhuc Declarationes Cardinalium Conclusionem nostram eertam reddentes, inter quas est illa apud Palao loc. cit. ita sonans: *Episcopus est a Simonia occulta absolvere possit, non potest tamen Simoniacum rehabilitare ad Beneficia impofterum obtinenda, neque ad ea retinenda, quae per Simoniam occultam retinet. Ex quibus proin satis liquet, contrarium sententiam in praxi esse minimè tutam, & consequenter nullatenus practicandam.*

342 **Q**ueritur III. An, & ex quibus causis solet Papa dispensare in penis Simoniae? Item, quid observandum in praxi pro obtinenda Dispensatione hujusmodi? Resp. I. Quamvis Papa possit, tamen rarissime solet dispensare in penis Simoniae, sive pro Foro interno, sive externo petatur Dispensatio, etiam si gravissime allegentur causae, teste Pyrrho Corrado in Praxi Dispensat. lib. 5. cap. 9. num. 7. dicens, se id experientia tot annorum, quibus Praetor Apostolicus servavit, didicisse: ubi n. 5. etiam ait: *Seppissimi hujusmodi supplicationes proponuntur in plena Congregatione Sacrae Penitentiariae, & nimis rarae sunt, quae signantur. Id ipsum experti testantur, qui pro Dispensatione in casu Simoniae supplicant S. Penitentiariae. Imò ipsimet id testari possunt, utpote, qui aliquoties pro obtinenda Dispensatione in casu Simoniae apud S. Penitentiariam, allegatis etiam urgentibus causis supplicavimus, sed nil obtinimus. Ratio autem, cur tam difficile in concedenda hac Dispensatione se exhibeat Curia Romana, est; quia vitium Simoniae tanquam pestem extremè averfatur Ecclesia, illudque omni quasi misericordia indignum reputat, & ordinariā negotiatione Dispensationis ac indulgentiae alios ab illo committendo deterret vult.*

343 Resp. II. Quamvis rarissime, tamen nunquam dispensare solet Pontifex in penis Simoniae, ita ut illius Reus non tantum absolvatur ab omnibus Censuris, & Irregularitatibus, sed dispensetur etiam in inhabilitate ad idem & alia Beneficia retinenda, ac obtinenda; simulque immunis reddatur a restitutione fructuum perceptorum. Pro qua Dispensatione obtinenda, inter alias causas servantur scandalum in dimissione Beneficii timendum, & paupertas Supplicantis, rarissime tamen, ut jam dictum, & bene advertit summè practicus in Curia Pyrrhus Corradus in Praxi Dispensat. lib. 5. cap. 9. §. 11. Quando autem ex hujusmodi causis, vel cum quibus dispenset, & quando, vel cum quibus non, nullam certam habemus Regulam. Hinc Simonia Reus rem quidem tentare, & supplicare potest, committere tamen Deo debet, num mentem Cardinalium hic & nunc pro petita gratia concedenda movere velit.

344 Resp. III. Quando Simonia est publica, & consequenter Dispensatio necessaria est etiam pro Foro externo, debet fieri recursus ad Datariam Apostolicam, etique offerri supplicatio, in quo praeter alia exprimi debent fructus quoque ex Beneficio Simoniaci obtento percepti, eo quod casu existente publico consignati debeant summo Datario; quamvis hodie super illis fit Transactio, ita ut ex illis tertiam, vel etiam major pars remittatur Delinquenti, prout visum fuerit Datario. Pyrrhus Corradus loc. cit. c. 9. n. 13. §. 14.

345 Resp. IV. Quando Simonia est occulta, & consequenter Dispensatio necessaria pro solo Foro interno, supplicari debet S. Penitentiariae, inscribendo supplicam Cardinali summo Penitentiario, eo serè modo, quo supra lib. IV. in Appendice §. 9. à n. 425. diximus, supplicari debere pro obtinenda Dispensatione in causa Matrimoniali.

346 Ut autem debite formetur sive pro Foro interno, sive pro Foro externo, consultum est, ut casus una cum causis dispensandi exactè scribatur alicui Procuratori Generali, vel eadem alteri Romae existenti, qui vel ipse bonus practicus Supplicationem juxta stylum Curiae debite former, vel ab alio practico formari faciat; quia cum alias difficiles impetratu sint Dispensationes in penis Simoniae, expedit, ut Supplicatio omni meliori modo, & juxta stylum concipiatur ne vel ex hoc defectu gratia denegetur.

347 **Q**ueritur IV. Quenam observanda sint in executione Dispensationis Apostolicae in penis Simoniae pro solo Foro interno a Penitentiaria data? Resp. Esse bene attendendum, & observandum tenorem Litterarum Dispensationis; in quibus, si circa restitutionem fructuum non dispensatur, injungi solet Confessario, ut cum Simoniaci antea non dispenset, nisi postquam fructus ex illo Beneficio indebitè perceptos, in totum restituerit, vel si ob ejus paupertatem impraesentiarum non potest, se restitutum promiserit, eam primam potest, etiam cum aliquo sui incommodo, & indigentia. Ita Pyrrhus Corradus loc. cit. cap. 11. Item injungitur, ut priusquam ad Dispensationem procedatur, Beneficium Simoniaci obtentum dimittat, & novam provisionem a Confessario per S. Congregationem deputato, pro Foro confitentiae obtineat.

348 Ceterum ad Absolutionem, & Dispensationem a Confessario faciendam nulla reperitur certa formula praescripta; unde non refert, qualia exhibeantur verba, dummodo iis satis exprimat, poenas tolli. Observandum tamen est, quod ad tollendas Censuras, & alias poenas merito adhibeatur verbum *Absolvo*, ad tollendam Irregularitatem autem, verbum *Dispensio*; sic v. g. sequenti formula rite exequitur Confessarius commissam sibi Dispensationem.

Misceatur tui Eccl. Inulgentiam, absolutionem &c. uti ante absolutionem Sacramentalem. Dominus noster IESUS Christus absolvat te. Ego auctoritate Apostolica, in hac parte tibi concessi. Et mihi commissi, absolvo te a quibuscunque Sententiis, censuris, & penis Ecclesiasticis, quas ob Simoniam labem in affectione talis Beneficii Ecclesiasticae quomodolibet incurristi, item dispenso tecum super irregularitate, casibus quam Censuris ligatus celebrando contraxisti, regulabilem reddo executioni Ordinum & Officiorum tuorum, sibi que titulum dicti Beneficii restituo, ac fructus ex eo male perceptos condono (si id commendat Litterae Dispensationis) teque ad omnes actus legitimos pariter restituo. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

349 **Q**ueritur V. Quis sit Juxex in causis Simoniae? Quis item Accusator, & Testis esse valeat? Resp. In his causis solus Juxex Ecclesiasticus cognoscere, & definitivè pronuntiare potest, etiam si Reus sit Laicus. Clarus lib. 5. §. Simonia n. 7. Piching h. 2. num. 142. Abbas in c. Cuius sit 8. de Foro competent. & ibi Glossa 7. Malefactores, communiter recepta. Ratio est; quia Simonia versatur circa objecta spiritalia, consequenter causa spiritalis est; causarum autem spiritalium cognitionem, & sententiae pronuntiationem ad solos Judices Ecclesiasticos pertinere, certum est ex c. 2. de Judic. & Concord.

350 Resp. II. Tanta est labes hujus criminis, ut etiam servi erga Dominos, & quilibet Criminosi admittantur ad accusationem. Ita in terminis habetur c. Tanta 7. h. 2. Et quidem tam contra dantem, quam contra recipientem aliquid Simoniaci, *arg. c. Non satis 8. h. 2.*

351 Porro quamprimum quis accusatur de Simonia, Episcopo

ipso facto est suspectus à celebrandis solemnibus Mis-
saris, c. Accusatum. 4. Et quoties. 5. h. t. (in-
telligit, si jam publice sit infamatus de hoc crimine.)
aliis non, ut bene advertit Glossa in cit. c. Accusa-
tum. h. t. §. Solemnia.
351 Resp. III. Sicut quilibet aliis de Jure inhabilis,
v. g. Criminosus potest esse Accusator; ita etiam
Testis esse valet contra Simoniam, dummodo non
sit capitalis inimicus Rei, aut conspirator in eum,
ut satis clarè habetur, c. Licet Heli. 31. c. Per
tuas. 32. h. t. & ibi DD. communiter. Et hoc præ-
cipue verum est, si Testis criminiosus ex Crimine
suo jam emendatus est, cit. c. Per tuas. 32. h. t.
ibi: Presertim cum Testes de crimine fuerint emendati:
nisi sit perjurus, hic enim etiam emendatus non am-
plius admittitur ad testificandum, ut post Glossam
in c. Per tuas. h. t. §. Furti. bene docet Abbas n.
10. Firching. h. t. n. 150. textu satis claro cau. Parvuli.
14. cau. 22. q. 5. & c. Testimonium, de Testib. Ratio
est, quia, qui semel perjurus est, merito time-
ratur rursus perjurare, arg. l. si cui §. 3. ff. de
Accusate.
352 Notat tamen bene Abbas in c. Per tuas. h. t. n. 4.
Pirthing. h. t. n. 150. quod etiam Criminosi admittan-
tur pro testimonio ferendo contra Simoniacos, ta-
men sine admittentibus, vel iudicibus aliis plenè non
probent, arg. cit. c. Per tuas. h. t. ibi: aliis admi-
nentibus suffragantibus. Plura de testimonio Testium
aliis inhabilibus contra Simoniacos lege in cit. c. Li-
cet Heli. 31. & c. Per tuas. 32. h. t.

TITULUS IV.

Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub
annuo censu aliis relinquunt.

SUMMARIUM.

- 1 Prælati Ecclesie nequeunt alteri committere suam
jurisdictionem pro annuo censu.
2 Solvitur Obiectio: Et nun seq.
4 Redditiu Ecclesie sub annuo censu bene possunt
elocari.
5 Pene contravenientium Rubricæ Tituli.

Vllo de Simonia in genere, succedunt in hoc,
& sequenti Titulo quedam Simonie in specie.
Et quidem per Rubricam hujus Tituli, totumque
Titulum reprobat certam Simoniam speciem, que
olim in quibusdam locis vigeat, dum Prælati vi-
ces suas, aut Episcopi suam jurisdictionem Episco-
palem aliis sub annuo censu seu pretio exercendam
relinquebant, uti conquerendo refert Papa c. 1. 2.
Et 3. h. t. consuetudinemque enormem vocat, ac
reprobat: idque merito, quia jurisdiclio Episcopa-
lis, & quocumque aliud Ecclesiasticum Officium
est quid spirituale, & propterea pretio conferri ne-
quit absque labe Simonie, prout amplius diximus
Tit. præced. à n. 48.

Nec obstat, quod Episcopus possit, imò & de-
beat suo Vicario Generali, seu Officiali constitucere
salarium ex Camera Episcopali. Resp. enim, aliud
esse jurisdictionem suam sub annuo censu sibi præ-
stando, aliis relinquere, aliud Vicario Generali
constituere salarium; quia Vicarius recipit sala-
rium per modum stipendii arg. c. Charitatem 12.
q. 1. ibi: Justum namque est, ut illi consequantur
stipendium, qui pro tempore suum commodare repe-
riuntur obsequium: imò pro laboribus temporali-
bus Officio per accedens annexis, etiam per mo-
dum mercedis, arg. c. Quicunque 12. q. 2. ibi:

Dignus est operarius mercede sua, cum Concor-
dantiis.
Secus fieret, si Episcopus sub annuo censu suam
jurisdictionem alteri relinqueret: Tum quia eam
ex debito sui Officii tenetur gratis administrare:
Tum quia aliquam suam jurisdictionem exponeret
venalem. Adde cum Fagnano in c. Quoniam. h. t.
n. 8. Quamvis, ut Officium Ecclesiasticum com-
mittatur sub datione pecunie, sit illicitum tam ex
parte dantis, quam recipientis: nihilominus com-
missio jam Officio licitum est, per modum salarii
dare pecuniam ei, cui committitur, idque per Jura
allegata nun. præced.
Verum dictis non obstantibus licitum & neuti-
quam Simoniacum est, possessiones & redditus Ec-
clesie sub annuo censu alioqui elocare; cum ea res
sit merè temporalis. Ita habetur cap. ult. h. t. ubi
nomine Ecclesie ad annum censum date intelli-
guntur possessiones seu fructus Ecclesie, ut expli-
cat Glossa ibid. §. Præfatam Ecclesiam, alioquin
enim Decretalis illa contrariaretur Rubricæ Tituli,
ac prioribus Capitulis.
Cæterum pœna Contravenientium huic Rubricæ
& Titulo sunt I. Quod tam dans, quam reci-
piens excludantur ab Ecclesia, in cuius contume-
liam res data, & accepta est, c. Considera, 38. de
Simonia. II. Qui dat pecuniam pro Officio, aut
jurisdictione spirituali, tale officium perdit, male
autem ita conferens amittit conferendi illud pote-
statem, c. 1. h. t. III. Dans pecuniam remouetur
à Clerico; Episcopus verò pro illo confertens spiri-
tualem jurisdictionem suspenditur ad tempus pro
qualitate delicti, c. 2. h. t. & ibi Glossa §. Percol-
latur.

TITULUS V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro
licentia docendi.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio continuationis.
2 Magister quid, Conuenit cum Doctore.
3 In aliquibus locis supremam lauream in Theologia
consecuti, non vocantur Doctores, sed Magistri
Theologie: Alibi aliter se res habet.
4 Licentiatu quid?
5 Baccalariu quid?
6 Plura sunt Privilegia Magistrorum, & Doctorum:
veluti I. Quid sint in Dignitate constituti.
7 II. Quod equiparentur Nobilibus.
8 III. Quod in conferendis Officiis & Beneficiis eter-
ni præferri debeant.
9 IV. Quod sint exempti à communibus oneribus.
10 V. Quod rei criminis mittis puniantur.
11 VI. Doctores, & Magistri actu docentes præ-
ter allegata, adhuc specialia habent privi-
legia.
12 In favorabilibus nominis Doctorum veniunt
etiam Licentiatu, & gaudent illorum privi-
legiis.
13 Excepta executione Literarum Apostolicarum.
14 Actuales Professores Theologie, vel Philosophie
percipiunt fructus grossos Beneficiorum suorum,
etiam quando causæ docendi absunt.
15 Si docent in studio Generali, seu Universitate.
16 Distributiones tamen quotidianas nominis in certis
casibus percipiunt.
17 Studentes quoque Theologie, vel Juri Canonico
in absentia percipiunt fructus Beneficiorum.

- 18 Exigere aliquid pro licentia docendi est illicitum.
19 Et impropru, non tamen stricte Simoniacum.
20 Solvitur Obiectio.
21 Pro Actuali Lectione, seu Professurâ profana
scientia aliquid per modum pretii accipere, non
est Simonia; Et nun. seq.
22 Pro actuali lectione S. Scripturæ, seu Theologie
potest aliquid accipi per modum stipendii.
23 Et pro aliquibus actibus etiam per modum
pretii: Et nun. seq.
24 In Ecclesiis Metropolitani, Cathedralibus, &
Collegiatis erigenda sunt Scholæ pro erudienda
Juventute.
25 Professores Theologie assignanda est integra
Præbenda Canonica, & Grammaticæ Professori
verò debetur stipendium. Et nun. præced.
26 Seminarium in quavis Diocesi erigi debet, &
quomodo?

Uas partes continet Rubrica hujus Tituli.
Prima est de Magistris; & occasione horum
Secunda est, ne pro licentia docendi exigatur quid
temporale; quod, quia speciem Simonie præ se
fert recto ordine statim hic ponitur post Titulos
de Simonia in genere, & præcedentem de qua-
dam Simonia specie. Circa primam Rubricæ par-
tem.

Quæritur I. Quid hic intelligatur nomine Ma-
gistris? Resp. Quamvis generaliter loquendo nomi-
ne Magistris venit quisvis cuiuscunque Disciplina
præceptor, l. Cui præcipitur. 57. ff. de V. S. tamen
ad propositum nomine Magistris venit omnis, &
solum ille, qui in scientia seu facultate Theologica,
vel Juridica, vel Medica, vel Philosophica supre-
mum gradum, & insignia legitime sit consecutus.
In quo sensu à Doctoribus non distinguuntur, ut
bene observat Loefius in l. Quiddam ff. de V. O.
& notat Glossa in Clem. 2. h. t. §. Doctoratus. per
textum ibidem: Doctoratus & Magisterii. Quod
autem quisvis ex aliqua dicta rura facultatum supre-
mum gradum legitime consecutus, sit & vocetur
Magister vel Doctor, patet tum ex cit. Clem. 2. h. t.
ibi: Qui in quavis scientia ad Doctoratus, vel Ma-
gisterii assumuntur honorem: Tum ex aliis Juris
textibus, in quibus tam Theologie, quam Juris,
& Medicinæ, ac liberalium Artium Magistros, &
Doctores legere est.

Veram quævis de Jure res ita se habeat, con-
suetudo tamen; & particulari Statuta locorum id
fecerunt, quod alicubi, ut in Universitate Sorbo-
nensi, Lovaniensi, Salamanticensi, ipsaque Curia
Romanâ supremam lauream consecuti in Theolo-
gia, non Doctores, sed Magistri in Theologia,
supremam verò lauream habentes in Jure vel Me-
dicina, Doctores Juris Civilis vel SS. Canonum,
vel utriusque Juris, & Doctores Medicinæ vocen-
tur, uti jam dictum Lib. IV. in Appendice §. 9.
n. 441. Alicubi verò, præsertim in Universitatibus
superioris Germaniæ Ingolstadtensi v. g. Salzbur-
genfi &c. omnes in præfatis facultatibus, etiam
Theologica supremum gradum assenti, ordinariè
dicuntur Doctores Juris, vel Medicinæ, vel SS.
Theologie &c. Illi autem, qui Philosophicæ curri-
culo consecuti supremum in ea gradum adepti sunt,
Magistri Philosophicæ vocentur.

Magistris, & Doctoribus affines sunt Licentiatu,
quorum nomine veniunt illi, qui supremam in ali-
qua Scientia sive Theologica, sive Juridica, si-
ve Medica gradum Doctoratus, vel Magisterii
insignia publicè capessendi, quando volunt, li-
centiam, seu facultatem habent, eò quod pro ta-
libus post prævium examen non tantum digni

judicati, sed ut Licentiatu rite & solemniter creati
sint.

Licentiatu paulò inferiores sunt Baccalari, 5
sive, ut alibi vocantur, Baccalarii, vel Baralla-
rii, quorum appellatione illi intelliguntur, qui in
Scientia vel facultate aliqua sui profectus primum
testimonium, primumque gradum sunt adepti:
quod pro locorum diversitate variè contingit. In
celeberrima Universitate Ingolstadtensi Baccalari
creantur ad finem primi, vel initium secundæ anni
Philosophicæ. Ex Theologia verò ad finem 2. aut
initium tertii anni.

Quæritur II. An, & qualia privilegia habeant 6
Magistris, Doctores & Licentiatu? Resp. Magi-
stros, & Doctores tam Theologie, quam Juris si-
ve Civilis, sive SS. Canonum, & Medicinæ plura
habere privilegia; quorum aliqua brevissimè hic
adducimus communia omnibus Magistris, & Doc-
toribus. Primum est, quod à plebeia conditione
exempti, in dignitate censentur constituti, arg. c.
Quanto. 3. de Clero. 2. eod.

Secundum est, quod Nobilibus annumerentur
veramque Nobilitatem consequuntur arg. l. 2. §.
ult. in fine. & l. 4. §. 1. in fine ff. de Excusat. Tut.
Quapropter etiam gaudent Nobilibus prærogativis,
arg. c. De multa. 28. de Præbend.

Tertium est, quod pro Doctoribus, & Magi-
stris militet præsumptio integritatis ac innocentie,
velo ut propter veteris paribus, illi in assequen-
dis Dignitatibus & Beneficiis Ecclesiasticis præferri
debeant, cit. c. de multa. de Præbend. c. Cum in
causis. de Elect. juncto Concilio Tridentino Sess. 24.
de Reformat. cap. 12.

Quartum privilegium est, quod exempti sint à 9
muneribus tam realibus, quam personalibus, textu
expresso l. Medicor. 6. §. l. c. de Professorib.
& Medicis.

Quintum est, quod criminum rei minus punien-
di sint, quam plebei, adeoque criminis etiam Ca-
pitalis suspecti, potius domi aut alio certo loco ar-
resto, quam publico carceri custodiri debeant, nec
Torturæ præterquam in criminibus exceptis subji-
cendi, nec pœna Tricemium, fustibus, laqueo,
vel alio ignominiosiori pœne genere, sed ultimum
supplicium meriti, gladio puniri debeant, arg. l.
Custodiam ff. de Crim. Reorum. l. A. C. ad Leg. Jul.
Majest. l. Moris. q. 5. ff. de Panis. &c.

Præter enumerata cunctis Magistris, & Docto-
ribus communia privilegia, Magistris & Doctores,
Professores, id est, qui actu docent in aliqua Aca-
demia habent adhuc specialia privilegia, inter
que principale est, quod, dum Theologiam, vel
Jus Canonicum docent, etiam absentes percipiunt
fructus Beneficiorum, juxta dicenda infra n. 14.

Resp. II. In favorabilibus nomine Doctorum, 12
& Magistrorum veniunt etiam Licentiatu, ita, ut
etiam illorum privilegiis supra enumeratis fruantur.
Alciatus in l. Cui præcipitur. ff. de V. S. Lesander de
Privileg. Doct. p. 4. num. 11. & alii. Ratio est:
quia privilegia Doctoribus & Magistris conceduntur
principaliter ob excellentem, & legitime ap-
probatam eorum doctrinam bono communi servien-
tem; & non propter illam solemnitatem, & cere-
monias, quibus Doctores inaugurantur; conse-
quenter, cum Licentiatu illam etiam habeant, et si
illa careant, eorundem privilegiorum merito par-
ticipes reputandi sunt; præsertim, cum licentiam
& facultatem proximam habeant, statim, si vo-
lunt, supremam Doctoratus lauream accipiendi,
illaque digni jam sint declarati; ac per consequens
eis serviat illud Juris: Proximi accingendus habe-
tur pro accincto, l. penult. ff. de Testam. Milit.
Hinc Concilium Trident. in assequendis Dignitatibus,
N 4 ac